



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De inuentione Reliquiarum Abbacuc & Michææ Prophetarum. & de obitu
Imperatoris Theodosii magni. Cap. XXVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

autem circa doctrinam fidelissimi extiterunt, ac Deū viriliter confessi sunt, adeo vt à paganis sæpenumero grauitèr admodū & immaniter vexati sint: Fertur autem Ajax pulcherrimā duxisse vxorē, & ter modò cū ea toto tēpore cōgressus, tres sustulisse proles. ac deinceps ob huiusmodi cōsuetudinis abstinentiam ab vxore separatus solitariā duxisse vitam, ac duos ex filijs ad rem Diuinam & cœlibatum, tertium verò ad Matrimonium educasse, moderateque & admodū præclarè Botolianā ecclesiam gubernasse. Zenon verò etiamnum iuuenis mundo ac matrimonio contēpto diligentissimus extitit circa ministerium Dei. Aiūt eum, imò & nos quoque vidimus, cum Mæumanam ecclesiam gubernaret, iā senē & natū plus minus annos cētum, nunquā vel matutinos vel vespertinos hymnos neglexisse, nisi forte morbus ipsum impediret. & cum in Philosophia monastica vitā traduceret, ex lino texebat vestes vnica tela. Atq; hinc tū sibi necessaria acquirebat, tum alijs suppeditabat, atq; hoc quidem opificium ille ad mortē vsque exercere non cessauit, etiamsi propter senium reliquis eius gentis sacerdotibus esset superior, ac populo & pecunijs maximè ecclesiæ præset: Horū igitur ego mentionem feci, vt constaret quales eo tēpore sacerdotes extiterint, omnes enim recensere longum foret, quandoquidem plurimi ex his boni extiterunt. Siquidem Deus ipforum vitam testimonio suo comprobauit, cum & orantes promptè exaudiuerit, & miraculis plurimis illustrauerit.

De inuentione Reliquiarum Abacuc & Michæe Prophetarum. & de obitu Imperatoris Theodosii magni.

CAP. XXVIII.

AB huiusmodi viris ecclesia vbique gubernata, ad concordiam virtutem ac zelum populum simul & clerum adduxit: Atqui non hæc sola Religionem honestabant, verum etiam Abacuc, & post eum non longo interuallo Michæas, inter Prophetas primi circa hoc tempus apparuerūt. Ambo autē corpora (vt intellexi)

per di-

SOZOMENI HISTOR.

per diuinam in somnis visionem indicata sunt Sebeni-
no tum temporis Eleutheropolis episcopo : Erat autem
nomen eius ciuitatis Cela quæ antea Cila vocabatur,
in qua repertus fuit Abacuc, at Baratfatia locus est cir-
citer decem stadiis ab ea ciuitate distans, in quo Mi-
chæ sepulchrum erat, quod monumentum fidele vo-
cabant indigenæ, ignari quid dicerent, Nephasa mee-
mana lingua patria appellantes : Satis igitur oportuna
& hæc ad Christianæ doctrinæ celebritatem sub hoc im-
perio contigerunt : Theodosius autem imperator post
victoriam de Eugenio obtentâ, dū versaretur Mediola-
ni morbo correptus fuit : Recordatus itaque vaticiniij
Iohannis Monachi se moriturum suspicabatur, quare
filium Honorium quàm poterat ocysimè Constanti-
nopoli euocauit, quem postquam præsentem conspi-
catus esset, melius habere sibi visus est, adeo vt & ad
equestris certaminis spectaculum vnâ cum illo pro-
diret. Cæterùm cum à prandio statim malè
affectus esset, iniunxit filio vt is specta-
culum absolueret, ac sequenti nocte
vita defunctus est. Obliuero
& Flauiano fratribus
Consulibus.

SEPTIMI LIBRI EINIS.